



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXXVIII. De Procuratoribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)





bile, multisque privilegiis, gaudens, *l. Laudabile 3. C. de Advoc. divers. judicium*, & propterea ad id suscipiendum, qui in Advocatorum album relatus est, compelli invitus & sub poena privationis officii possit, nisi iusta causa excusetur, *l. Providendum 7. C. de Postul.* Procuratoris autem munus magis onerosum & privatum reputetur, *l. Si quis 34. C. de Decurionib.* & propterea id suscipere invitus nemo cogatur, *l. Invidius 17. C. de Procuratoribus*. Secundò, procurator alienas lites agendas vel negotia extrajudicialia gerenda in se suscipit: Advocatus autem alteri causam suam agenti, patrocinium duntaxat ac defensionem præstat, jus & merita causæ exponendò: & propterea, si istius causam malè agat, ex prævaricatione, *l. 1. C. de Advocat. divers. jud.* & non ex mandato obligetur, sicut procurator: qui causam malè agens Mandati actione tenetur, *l. Si procuratorem 8. ff. Mandati & l. Si procurator 10. C. hic.* Tertio, ut alia omittam, Advocatus non fit dominus litis sive instantiæ, *l. 1. C. de Errorib. Advocat.* qualis tamen post illius contestationem procurator fit, *c. 1. in 6.*

Demum à Defensore; quòd iste solum reum sine mandato tueatur, *l. Servum 32. §. 2.* Procurator autem tam proactore quam pro reo, & non nisi cum mandato agat, *l. 1. ff. hic & §. Ex his itaque 5. Instit.* Per quas person. cuique adquir. Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 2. n. 377. & alii.

Porro Procuratorum species multæ sunt: & primò quidem alius ad negotia, alius ad lites sive, ut alii loquuntur, alius Judicialis est & alius extrajudicialis: quorum ille ad lites in iudicio prosequendas: iste ad negotia extra illud petraclanda constituitur, *l. Servum 33. ff. junctâ Gloisâ V. Verum est & §. 1. ff. hic.*

Secundò, alius Generalis, qui ad

omnia negotia vel ad omnes lites: & alius Specialis, qui ad certum duntaxat negotium expediendum vel litem in iudicio prosequendam est constitutus, *l. 1. §. 1. ff. hic.* Et generalis quidem aliquando constituitur simpliciter, aliquando adjectâ in mandato procuratorio clausulâ *Cum libera*, hoc est, plena & libera potestate agendi vel gerendi omnia, quæ in causâ vel negotio agere dominus potest, *l. Procurator 58. & 63. ff. hic*: quorum prior ea tantum, quæ facillè corumpuntur & nequeunt servari: posterior verò etiam alias res mobiles, imò etiam immobiles vendere, permutare aut aliis modis, exceptâ donatione, alienare potest, *l. cit.*

Tertio, Procurator alius in rem Alienam, alius in Suam dicitur constitutus: quorum quidem uterque negotium & causam alienam: ille tamen ut plerumque solet, in ipsius constituentis sive domini: iste verò in commodum & utilitatem propriam gerit, *l. Servum cit. §. fin.* quòd dominus ipsi procuratori v.g. pater filio vel alteri personæ cesserit jura & actiones sibi competentes; ut eas mandatò quidem & nomine constituentis, sed in commodum & utilitatem propriam valeat exercere, Glossa magna in *c. 1. cit.* Sed à verò non multum aberrabit, si quis hunc propriè dictum procuratorem esse inficietur; cum, ultimò saltem effectu spectatò, propriam potius quam alienam causam agere videatur, *l. Quia absente 4. l. Qui stipendia 9. C. hic, ut in c. 1. cit. cum Anchorano n. 4. Lainan n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 6. V. Quarto, in fine observant.*

Quartò, Procurator alius Verus est, qui legitimus: alius Falsus, qui vel omnino nullum, vel non sufficiens, aut ad negotium gerendum impertinens, vel revocatum, vel aliò modò extinctum

D d d d 2 manda



mandatum habet, *l. Licet 4. C. hic, Wenbec. ff. ad hanc Rubric. n. 3.*

## ARTICULUS II.

### De personis, quæ Procuratores constituere & constitui possunt.

#### SUMMARIUM.

10. Procuratorem dare possunt, qui non prohibentur.
11. Prohibentur Servus ad lites,
12. Filiusfamilias, Pupillus, Minor,
13. Tutor, Curator, Syndicus, Caprivus,
14. Excommunicatus & Religiosus.
15. Prælatu eum constituere solus potest:
16. Nisi causa ardua,
17. Vel Procuratoris Generalis sit.
18. Eum dare quis non cogitur:
19. Nisi diu aut perpetuo sit impeditus,
20. Vel causa exigat celeritatem,
21. Aut ipse sit persona illustris.
22. Procurator invitus nemo est.
23. Varii esse nequeunt volentes:
24. Religiosus certis tantum casibus esse potest.

10. **R**egula generalis est, Procuratores constituere & constitui posse omnes, qui specialiter non prohibentur; quia Edictum de procuratoribus, respectu personarum tam constituentium quam constituendarum, Prohibitorium; ac proinde de re generaliter omnibus permessa, & certis tantum personis prohibita, est *c. 1. junctâ Gloſâ V. Reputari & l. Murus 43. §. 1. V. Edictum ff. hic*; Edictum enim, quod probè notandum, Permis-

forium aut Prohibitorium nuncupatur non ex eo, quod generaliter: sed ex eo, quod specialiter permittendò vel prohibendò edicit: & propterea, quod de re vel materia, generaliter prohibita, specialibus autem casibus permessa, est, ut Edictum sive præceptum Ecclesiasticum de abstinentia ab opere servili Pests ac Dominicis, & ab esu carniùm consuetis Jejuniorum & Veneris ac Sabbathi diebus generaliter omnes, specialibus dimittant Personis aut casibus exceptis obligari, permissorium. Contra Edictum sive Ordinatio Ecclesiastica, ad conjugium vel Religiosum statum, ad conjugium & Christianos generaliter, certis tantum personis & casibus exceptis, admittens, licet propositum de Procuratoribus, Prohibitorium, non Permissorium est, Gloſſa *V. Reputari cit. Hostien. in Summa hic n. 8. & Menochius de Præsump. lib. 6. præf. 16. à n. 2.*

Prohibentur autem Procuratorem constituere, primò ad lites Servus, *l. Servum 33. pr. ff. hic*: sicut per seipsum agere non permittitur, *l. Servus 6. C. de Re judic. Ad lites*, inquam, quia ad negotia pecuniaria gerenda: imò cum de statu litigat, ad actiones etiam exercendas, procuratorem dare permittitur *pr. cit. & §. 1.*

Secundò, ad eandem procuratorem constituere nequit Filiusfamilias, exceptis casibus, quibus agere ipse potest, *l. Filiusfamilias 8. pr. ff. hic.*

Tertiò, Pupillus & Minor, cum autoritate Tutoris vel Curatoris possint, *l. Neque 11. C. hic sine illis tamen procuratorem constituere nequeant ad lites, arg. l. Nemo 54. ff. de R. L. Ad negotia tamen minor, curatorem non habens; procuratorem dare potest, l. Murus cit. Quin, si ab eo ad litem litatus pro ipso sententiam obtineat, illa*



valet; quia ætas minor, sicut in damnis subvenire, sic in rebus prosperè & utiliter gestis non obesse confuevit, *l. Non eo minus C. hie.* In causis etiam spiritualibus ac dependentibus ab eis minor 2 5. sed tamen major 14. annis, sicut in iudicio agere, sic ad agendum & defendendum procuratorem constituere suo arbitratu potest, *c. Si annum 3. pr. de iudiciis in 6.*

13. Quartò, Tutores & Curatores, cum domini non sint, ante litem contestationem ex sua persona non procuratorem, sed actorem quasi ab ipso minore vel pupillo constitutum: post litem autem à se contestatam, utpote litem domini jam effecti, etiam procuratorem dare possunt, *l. Neque cit. & arg. l. Nec civitatis 74. junctâ Glossâ V. Potest ff. hie.*

Quintò, eodem modò & ob eandem causam Syndicus Universitatis vel Civitatis post, non ante litem contestationem procuratorem dare potest, textus & Glossâ *l. & V. citt.*

Sextò, captus ob hostibus; cum enim, quamdiu in istorum potestate est, sui juris & rerum suarum dominus non sit, nec agere, nec procuratorem constituere, sed actorem tantum vel curatorem habere potest, *l. Ab hostibus 1 5. ff. Ex quibus caus. major.*

14. Septimò, Excommunicatus ad agendum, *c. fin.* cum tanquam actor stare in iudicio ipse non possit, *c. Intelleximus 7. de iudic. & c. Decernimus 8. de Sent. excom. in 6.* Ad defendendum autem procuratorem constituere potest, & ferè debet; ne sua malitia & excommunicationis censura ipsi prosit in præjudicium alienum, scilicet actoris, si huic in iudicio agenti respondere non teneretur, Suarez *de Censur. disp. 16. f. 3. n. 1.*

Octavò, Religiosus sine licentia sui superioris, *Clement. 3. in fine*, exceptis casibus, quibus per se agere potest sine li-

centia prælati, v.g. cum hunc accusat, *c. Ex parte 11. c. olim 26. de Accusat.*

De Prælato, an ad lites super Ecclesiæ vel Monasterii sui rebus & juribus prosequendas procuratorem constituere valeat, dubitandi ratio est; quòd ejusmodi rerum non dominus, sed procurator tantum sive administrator sit, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. Fratritatem 2. de Donationibus &c.* Sed, etsi hoc verum sit, nihilominus, quia administratio Prælatorum generalis & libera est, *can. Nullam 18. q. 2. c. Edoceri 21. de Rescript. & c. Cum ad monasteriũ 6. de Statu monach. &* propterea, si ardua aut magni momenti causa non sit, sine capituli, vel conventus sui consensu in iudicio agere & respondere potest, *c. Cum olim 17. de Rescript. spoliat. & c. Auditis 15. de Prescript.* in ejusmodi causis, non arduis, ad agendum & respondendum Procuratorem constituendi potestatem, cum Panormit. *in c. Edoceri. cit. n. 6. & 8.* ipsi merito adstruunt Honorius *in Summa Decretal. hie n. 3.* & Pirhing *ad banc Rub. n. 15.* pro Ecclesiarum & beneficiorum suorum juribus, sicut agendi, sic etiam ad agendum & defendendum procuratorem constituendi, si causæ arduæ non sint, liberam potestatem etiam clericis beneficiatis tribuens, cum eodem Panorm. *in c. Petitio 9. n. 1.*

Neque obstat; quòd in rem pupillæ non procuratorem, sed actorem tantum constituere valeant tutores, *l. Neque cit.* quibus Prælati & alii rerum Ecclesiasticarum administratores æquiparantur, Guttierrez *de Tutel. p. 1. cap. 1. n. 8.* quia, licet æquiparatio hæc in aliquibus procedat, plures tamen inter ipsos, & ea præcipuè differentia intercedit; quòd Prælatorum, sicut diuturnior, sic multò amplior in Ecclesiarum, quàm in pupillorum rebus tutorum, sit potestas, ut cum *cit.*

D d d d 3 Panor.



Panormit. n. 1. idem n. 9. observat; cum illi ex Ecclesiarum rebus accipiant sustentationem, & modica etiam merè liberaliter donandi habeant potestatem, Glossa in c. Fratritatem cit. V. Graves & Imola in c. Ceterum 3. de Donat. n. 6. quorum neutrum tutoribus permillum est, l. Tutor 13. §. 2. & fin. l. Qui negotiationem 58. pr. ff. de Auth. Tutor. Glossa in c. fin. V. Reservari, de Offic. Ord. in 6.

16. Excipiendæ tamen imprimis sunt causæ arduæ v.g. Ecclesiæ vel monasterii libertatem, subjectionem, limites, honorem, vel ejus rerum immobilium, aut pretiosarum mobilium alienationem concernentes; ad has enim procurator sine capituli vel conventus sui consensu à Prælato constituendus non est, Panorm.

17. in c. Edoceri cit. n. 9. Deinde constitutio procuratoris generalis & perpetui, qui Ecclesiæ vel monasterii negotia omnia; tam in quam extra judicium gerat; nam etiam hujus constitutionem cum capituli consensu faciendam, idem monet l. cit. Et demum casus, quò capitulum vel conventus habet bona omnino, etiam quoad administrationem, diversa; quia ad lites etiam super hujusmodi bonis ortas, si arduæ non sint, procuratorem constituere ipsum capitulum vel conventus sine Prælati consensu potest, Idem in c. cit. num. 7.

18. Dubium præterea hoc loco est, an ad constituendum procuratorem quis valeat compelli. Non quidem, si litigans comparere ipse velit; hunc enim ferè non compellendum, convenit inter DD. Sed, si comparere per se non possit, propter infirmitatem vel aliud simile impedimentum. Dubitandi ratio de Negativa defumitur ex c. Cum dilecti 6. de Dolo ubi electus, insidiis & intemperie, quò minus in judicio ipse compareret, prohibitus pro contumace habitus & condemnatus

est in expensas; quò sufficientem non miserit responsum. Nequid injuriosè cum infirmitas & similes causa alia à præsentia solum personali exculent: non etiam à constitutione procuratoris: cujus usus ideo potissimum necessarius de introductus est, ut ætate, infirmitate &c. quò minus judicio intersit, impeditus, suo suum tueri vel prosequi in judicio per alios possit, l. 1. §. 1. ff. de iur. & pr. l. De iis, per quos agere &c. De Affirmativa autem, saltem si magni momenti causa sit, ex c. Querelam 2. Verbis, Cum non possit quis cogi, nisi vellet, in gravibus casibus procuratorem constituere: propter quam causam sententia, quæ impeditur procuratorem non constituens tanquam contumax condemnatus est in expensis nulla declaratur c. cit. & l. Quasdam 6. C. de Re judic. Sed textus isti à vitio Aristinomix, cujus speciem referunt, facile vindicantur auxilio distinctionis inter obstacula impediendia, quò minus quis compareat; quantumvis enim infirmitate aut aliò impedimento solum temporali & non diu duraturò detentus in propria & gravi causa procuratorem constituere non teneatur, juxta c. Querelam cit. ubi hunc tamen constituendum perpetuò non valde diu impeditus, præsertim si causa celeritatem exigat, compelli potest; quæ uni parti subveniri non debet cum alterius præjudicio valde gravi, Glossa in c. Cum dilecti cit. V. Responsalem, Panorm. in c. Querelam cit. n. 7. & Hæmold. Tom. 5. de f. & f. Trah. 2. an. 387.

Neque obstat c. Cum dilecti cit. text. 10. quia, ut omitteram, quòd in illustratu su ab electo, nec per se nec per procuratorem comparente, absentia justam causam sive impedimentum non probatum, Glossa ibi V. Detentus observet, eò ageretur de causa electionis, ne Ecclesia vacet, exigente celeritatem, c. Ubi pericula-  
tum 3.



*l. 3. de Elect. in 6. & Clement. 2. de Judiciis*: propter quam causam electus citatus fuit, ut per se vel per procuratorem compareret: & cum neutro modò id faceret, in expensis merito fuit condemnatus, ut in *c. Querelam cit.* notat Gonzalez n. 10.

21. Excipiendæ tamen hic sunt personæ illustres, quæ in causis pecuniariis per procuratores solummodo agere permittuntur *Novell. 71. ex eaque desumpta autb. Hoc jus C. hic.* Imò in Camera Imperiali (& quibusdam aliis Curias) ex Ordinationis præscripto, causæ non aliter quàm per procuratores agi possunt, ut ex aliis advertit *cit. Haunoldus n. 391.*

22. Constitui etiam procurator regulariter nemo invitus potest, *l. Invitus 7. C. & c. Licet 7. hic in 6.* quia munus est privatum, ad quod invitus nemo cogitur, *Glossa in c. Licet cit. V. eòdem.*

23. Non pauci etiam volentes Jure prohibentur: ut sunt furiosus ob animi defectum, *l. Dummodo 2. Surdus & Mutus ad lites, l. Mutus 43. ff. hic.* Servus ad eandem, quia legitimam personam standi in judicio non habet, *l. Sc. C. Qui legit pers.* Miles tam ad negotia quàm ad lites: præterquam in rem suam aut suæ cohortis, *l. Filiusfamilias 8. §. 2. ff. & l. Qui stipendia 9. C. hic*; quòd eos per privatorum negotia à militia non avocari publicè interfit, *l. Milites 31. C. de Locato: Femina, l. Neque 41. ff. & l. Alienam 18. C. hic*, nisi in rem suam aut interdum cognita causâ pro parentibus, ætate vel infirmitate impeditis, *l. seminas 41. ff. hic*: vel nisi sit Abbatisa; hæc enim munus illud in causa sui monasterii obire permittitur, *c. Cum dilecta 4. §. Quia verò, ibi, Eandem Abbatisam procuratricem ipsius monasterii duximus statuendam, de Confirmat. utilis.* Minor 25. annis, de Jure saltem Canonico ad lites, *c. Qui ge-*

*neraliter 5. §. fin. in 6.* etsi qui septendecim annis est major, ad negotia dari procurator possit, *cit. Jure civili, licet res admodum controversa sit, & eum, qui 7. annis major est, ad procurandū etiam in judicio admitti, ex §. Justa autem 5. & §. fin. Instit. Quibus ex causis manumitt. probabilius desumant Zæsius in ff. hic n. II. & Harprecht Instit. De iis per quos ag. poss. n. 123.* Usu tamen Jus Canonicum observari monet Haunold. *cit. Tract. 2. n. 404.* Reus criminis, pendente accusatione & antequam innocentiam suam purget, *l. Reum 6. C. hic*, Alienæ litis redemptor, & qui procurationis munus in se recipiunt sub pacto, ut ex litis eventu & victoria certa pars sive quota sibi præstetur, *arg. l. Si quis 5. C. de Postulando Haunold. cit. n. 405.* Excommunicatus, *c. Decernimus cit. & c. Post cessionem 7. de Probat.* Infames de Jure Canonico ad negotia & lites pro personis Ecclesiasticis: quod ex *can. fin. junctâ Glossâ V. Quia Episcopus 5. q. 3.* desumit Panormit. *in c. Imperatorum 4. de Juram. calumni. n. 9.* Clericus saltem in majoribus constitutus, præsertim Sacerdos, juxta dicta *Tit. 37. à n. 10.* Religiosus ad lites, *Clement. 3.* nisi de Prælati sive superioris sui licentia & pro utilitate sui monasterii, ut de advocati munere dictum est *eòdem Tit. n. 9.*

Excipitur tamen imprimis Religiosus Prælati, qui ob sui monasterii utilitatem Procuratoris & Advocati munus, sicut committere alteri, sic etiam ipse obire potest, *Glossa in Clement. 3. cit. V. Religiosus, & ibi Panormit. n. 4.* Deinde Religiosus subditus, in negotiis concernentibus ipsum Prælatum, v. g. si agatur de ejus electione, confirmatione, crimine &c. Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 13. n. 18.* Et demum idem, legitime constitutus procurator, pro communis litis consorte Procurato-



curatoris mun<sup>9</sup> in se suscipere sine nova licentia potest, *Clement. cit.* Ubi Glossa *V. Consorte*; quod ad procuratoris munus etiam pro isto suscipiendum licentia in ea, quæ prius data est, contineri videatur, *Vivianus in Clement. cit.* & *Pirthing ad hanc Rubric. n. 22.*

## ARTICULUS III.

De Causis admittenti-  
bus Procuratorem.

## SUMMARIUM.

25. Hunc regulariter admittunt omnes causa,
26. Et ipsum etiam Matrimonium:
27. Quod à Procuratore revocato invalidè initur;
28. Propter defectum consensûs in constituyente.
29. Validè iniuri potest nomine istius dormientis.
30. Nominè ejus in amentiam lapsi id quidam negant.
31. Contrarium tamen rationi,
32. Et Juris etiam principiis conformius est.
33. Matrimonium nomine absentis initum Sacramentum esse, negantur,
34. Et verior affirmantium sententia.
35. In causis Capitalibus Procurator nec pro reo,
36. Nec pro accusatore admittitur.
37. Admittitur, cum de crimine agitur Civiliter,
38. Et ad defensionem rei, Judicio adesse non valetur.
39. Pro valente in Criminalibus eum excludentium,
40. Et admittentium fundamenta.

41. De his iudicium Aulicis.
42. Admittitur in causis infamiam inrogantibus in consequentiam,
43. Et principaliter etiam.
44. Quod aliqui satis prohibentur negant.

**S**icut Procuratores constituere & constitui quicumque Jure non prohibiti, sic iidem in omnibus causis Civilibus, non solum temporalibus, sed etiam spiritualibus intervenire possunt, *c. 1. §. c. fm. in 6.* quò posteriori texto agitur de Matrimonio per Procuratorem contrahendo: & ad id per hunc validè contrahendum tria requiruntur. Primum ut procurator habeat mandatum speciale, ad id contrahendum cum persona certa & determinata; cum enim à matrimonio totus vitæ status pendeat, ejus contractum cum persona, principali five mandanti probata, & specialiter committi oportebat. Deinde, ut sic constitutus procurator nomine constituentis id contrahat per seipsum: nisi id per alium facere in mandato expressè permittatur; quò specialiter electa censetur industria personæ. Demum; ut eum constituentis consensu in conjugium, cum persona proposita de præsentì contrahendum, pertineret; si enim ab hac, id cum persona illa ita contrahendi, voluntate recessisset: eamque tempore contractus per procuratorem celebrati aut ante non renovasset, irritum foret matrimonium, eius nomine per procuratorem contractum: cui huic recessus à voluntate illa, five consensûs & mandati revocatio, non intro-  
tuisset.

Neque obstat; quòd alii contractus per procuratorem revocatum, antequam revocatio huic & parti innotuit, validè ineanantur, *l. Si mandatum 15. ff. Mandata* & *Clement. Unica de Renuntiati.* quia in con-



in contractibus merè politicis, & actibus ab humano Jure pendentibus, Jus sive Ecclesia aut Republica supplere potest consensus, in constituente deficientem; imò hoc invitò rei dominium & jus transferre. Non etiam in matrimonio: ad cujus essentiam cum ipsorum id ineuntium consensus Naturali & Divino Jure pertineat, *c. Cum locum 14. Sc. de Sponsal. & Matr.* ejus defectus à Jure & potestate humana suppleri non potest, Barbofa *in c. fin. cit. n. 7.* & Laiman *in c. cit. n. 3. & 4.* cum Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 11. n. 3.* idem in sponsalibus & ob eandem rationem obtinere, docens, *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.*

28. Sicut autem consensu à Constituyente sive principali mandante revocatò, revocatione etiam procuratori nondum intimatà, matrimonium invalidè: ita, si consensus ab illo revocatus non sit, validè à procuratore contrahitur, quantumvis per hunc celebrati contractus tempore principalis sive mandans dormiat, vel ad alia negotia distractus de sponsa vel matrimonio contrahendo nullam habeat cogitationem; quia matrimonium à procuratore contrahitur in virtute consensus, non tali tempore actualiter præstiti, sed in sui constitutione expressi, & in dormiente, distracto &c. moraliter perseverantis; ac proinde ita contractum matrimonium validum erit, sicut Baptismus in somno collatus ei, qui ipsum, cum esset vigil, postulavit, *c. Majores 3. §. fin. de Baptismo*, Sylvester *V. Matrimonium 5. q. 10.* Gutierrez *de Matr. cap. 43. n. 14.* & Sanchez *cit. disp. 11. n. 11.* Unde

29. Dubium & controversia oritur, an à Procuratore matrimonium validè contrahatur nomine principalis, qui ante istius contractum in amentiam incidit. Quod contra communem sententiam negant Pontius *Lib. 2. de Matr. cap. 15. n. 14.* &

Card. de Lugo *de Sacram. in genere disp. 8. n. 108.* Sed non iisdem uterque rationibus movetur; Ratio enim illius est; quòd matrimonium per alium contrahendum exigit consensus principalis, expressum per verba procuratoris; consensus autem principali jam amenti, perinde ut ei ante contractum à procuratore initum mortuo, impossibilis sit: & is, quò procuratorem constituit, cesset; ac proinde sicut mortuò, sic etiam in amentiam lapsò principali matrimonium ejus nomine contrahi à procuratore jam non possit. Istius autem ratio est; quòd, sicut revocatò, sic etiam expirante mandatò matrimonium nomine principalis iniiri à procuratore amplius non possit: mandante autem, re adhuc integrà, sive ante negotii inchoationem, sicut mortuò, *c. Relatum 19. de Offic. delegati & l. Mandati 15. C. Mandati*, sic etiam in furorè & amentiam lapsò mandatum expiret, *l. Qui servum 47. §. l. Si quis alicui 48. ff. de Acquir. hered.*

Sed rationes istæ ea vi non pollent, 31. ut à communi sententia DD. tali casu à procuratore initum matrimonium subsistere asserentium, recessum persuadeant. Eadem, unicà quidem, sed satis firmà ratione probatur; quia etiam tale matrimonium contrahitur consensu principalis eò, quò Jure debet, modò expressò; cum consensus à principali eòdem prorsus modò exprimat; quò id fit, cum ejus ebrii, dormientis, imò etiam vigilantis nomine conjugium init procurator; quia imprimis utroque casu, liberò ipsius & spontaneò consensu ad conjugium cum certa & specialiter electa persona suo nomine ineundum constituitur procurator. Deinde utroq; casu principalis, istum constituentis, consensus moraliter perseverat; cum non sit revocatus: &, non tantum habitualiter, sed virtualiter perseverat;

E e e e

veret;



veret; quia ejus solius virtute omnia agit procurator. Præterea, tam procurator principalis mandantis nomine cum fœmina contrahens, quàm fœmina ipsa eadem & eodem modò omnia agunt, quæ & quòd modò agunt, quando, ipsis contrahentibus, principalis mandans ebrietate vel somno detentus, vel ad alia distractus est. Et demum; quia contractus inchoat tempore in utroque datur potentia ad actus, quos respicit contractus nuptialis: cuius valori non obest; quòd ejus inchoat tempore principalis sui compos & consensus capax non fit; cum procuratoris acta omnia à principalis mandantis consensu præterito, non revocato & moraliter perseverante, pendeant: non ab aliis actibus & præsentis ejus dispositione, partim; quia ille solus est causa, cur in conjugium cum ipso de præsentis consentiat fœmina, quæ cum ejus nomine contrahit procurator, & iste ejus consensum nomine principalis acceptet, simulque mutuam consensum exprimat in ipsam: tum verò; quia, si procuratoris acta à principalis præsentis dispositione penderent, ejus perinde ut amentis, etiam dormientis, ebrii & ad alia distracti nomine inchoatum conjugium non valeret; cum consentire æquè somni & ebrietatis quàm furoris & amentia tempore principalis non possit.

Neque ad rem facit; quòd dormiens, ebrius & similes novi consensus sint capaces, partim; quia contractus matrimonialis, ut dictum, non novò, sed antè præstitò, & in amentè non minùs quàm in dormiente adhuc moraliter perseverante consensu inchoat: partim verò; quia principalis, somni & ebrietatis non magis, quàm furoris & amentia tempore: & ista post breve aut longum temporis spatium cessante, non minùs capax est novi consensus quàm discussò somnò & ebrietate. Unde matrimoniali contractui,

ejus nomine celebrando, superveniens furor & amentia non magis obstat quàm ebrietas & somnus. Confirmatur communis hæc sententia paritate Baptismi: qui adulto, cum sane mentis esset, eum postulanti, & postea in amentiam lapsò validè confertur, c. *Majores* 3. h. *fin. de Baptismo*. Cur non etiam mandantis, dum sui compos esset, procuratorem constituentis & postea in amentiam lapsi nomine à procuratore matrimonium contrahi validè possit? cum, sicut illius baptismum petentis, sic istius procuratorem constituentis consensus non retractatus moraliter perseveret.

Ex his planè corruunt in contractuum allatae rationes; cum enim conjugium à Procuratore mandantis nomine contrahatur vi solius consensus præteriti, etiam in amentè moraliter perseverantis, novi consensus ex superveniente amentia proveniens impossibilis pactioni nuptiali non obest: licet ei obicit mandantis mors; cum enim ista ex natura sua omnia, & ipsum etiam conjugium solvat, *Novell. 22. cap. 20. pr.* & istius contractum reddat impossibilem, etiam ex natura sua potius quàm humane legis dispositione revocabit istum respiciens mandatum: quod etiam amentia superveniens revocari, ex *l. Qui seruum* & *l. Si quis cit.* rectè non inferitur; quia Civilis earum dispositio de actibus quibusdam peculiaribus, non generaliter de omnibus procedit: multò minùs de contractuum matrimoniali, Jure specialiter favorabili, ut in dubio pro eo sit standum, c. *fin. de Sum. & re judic.* & propterea etiam pro ejus nomine mandantis per procuratorem legitime constitutum, sicut somni & ebrietatis, sic etiam furoris & amentia supervenientis tempore inchoat, valore & communi sententia merito stent in suis *Tractat. de Matrim. Gutierrez cap. 43. num. 14. Sanctus*



Sanchez *Lib. 2. disp. 11. n. 12.* Perez *Disp. 15. f. 8. n. 3.* Bonacina *q. 2. p. 2. n. 13.* Palao *Disp. 2. p. p. n. 2.*

33. Dubium etiam & dissensio quædam inter DD. est, an per procuratorem celebratum conjugium sit Sacramentum. Hoc enim præter nonnullos VV. negant Cajetanus *Opusc. de Matrim. q. 1.* & Victoria *in Summa n. 244.* quorum Opinionem probabilem reputat Rebellus *de Oblig. Jus. p. 2. lib. 2. q. 5. concl. 2.* Ratio, quæ moventur, est, quod Sacramenti formam constituent verba: quorum, cum inter absentes nullus sit usus, inter eos per procuratorem initum matrimonium non poterit esse Sacramentum.

34. Sed verius, etiam hujusmodi matrimonium verum Sacramentum esse, cum Innocentio in *c. Juvenis 3. de Sponsal. n. 5.* & Navarro *in can. Fratres 8. dist. 5. de Pœnit. n. 45.* defendunt Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 1. §. Unico n. 5.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3.* & alii DD. congestis Sanchez *cit. disp. 11. n. 27.* Pontius *Lib. 1. de Matrim. cap. 10. n. 7.* unicâ, sed solidâ clarâque nixi ratione; quod Christus contractus matrimonialis naturam non immutavit: sed eum duntaxat, qui secundum leges humanas validè celebratur, ad Sacramenti dignitatem elevavit. Cum ergo matrimonium per procuratorem initum, secundum leges illas validum sit in ratione contractus, validum quoque erit in ratione Sacramenti.

In contrarium allata ratio levis est; quia, licet in cæteris Sacramentis verba requirantur ad formam, aliud tamen obtinet in matrimonio: quod contrahitur consensu, *c. Cum locum 14. de Sponsal. & Matr. §. 1. Nuptias 30. ff. de R. J.* expresso non solum per verba, sed etiam per nutus, *c. Cum apud 23. c. Tua 25. de Sponsal. & Matr.* à parentibus, filio vel filia tacente, *can. Honorantur 32. q. 2. &*

*c. Unico de Despons. impub. in 6.* per copulam carnalem, sponfalibus quocumque modò validè contractis supervenientem, ante Concilium Tridentinum, *c. Is qui fidem 30. de Sponsal. & Matr.* per nuntium vel procuratorem, *c. fin. hic in 6.* Unde Concilium Florent. post *Sess. ult. in Decreto Unionis §. Septimum*, ad matrimonii Sacramentum verba exigit solum Regulariter: eadèmq; *Quantum ad Ecclesiam* duntaxat necessaria, asserit Innocentius III. *c. Tua cit. relatus.*

Dictum est *n. 25.* Procuratorem constitui posse *In omnibus causis Civilibus*; quia in Criminalibus, saltem quando pena capitalis vel alia corporalis, relegatione major, imponenda venit, procurator Jure non admittitur, ex parte tam accusatoris, quàm rei, *l. Accusatore 13. §. 1. ff. de Publicis judiciis.* De reo ratio est, partim; ne iudicium elusorium reddatur; cum dominus accusatus ad evitandam pœnam facile queat fugam arripere: in procuratorem autem, qui non deliquit, executio fieri non possit: partim verò; quia rei personalis præsentia in iudicio desideratur; quod ex ãqualore & mutatione vultus, vocis titubatione & inconstancia sermonis de crimine argui vehementer possit, *l. De minore 10. §. 5. ff. de Q. Q.* De accusatore autem; quod de Jure in ipsa accusatione se inscribere teneatur ad pœnam Talionis, hoc est talem, qualis accusato de crimine convicto esset subeunda, si calumniosè accusasse deprehenderetur, *c. Super his 16. de Accusat.* quam fugâ sibi consulendò facile eluderet, si accusatio per procuratorem admitteretur, *c. Tua 5. hic*, ubi propter memoratam Talionis pœnam marito, uxorem coram iudice seculari criminaliter & ad pœnam legalem, quæ capitalis est, *l. Quamvis 30. C. ad L. Jul. de Adult.* acculanti non conceditur procurator, *Clarus, §. fin. q. 32. n. 3.* qui

Et e e e 2 tamen



tamen utiliter monet, hodie, postquam Talionis poena à Curiis passim recessit, procuratorem ex parte accusatoris admitti; quod eum non admittendi ratio; ne iudicium reddatur elusorium, cesset, *cit. n. 3. & 23.*

37. Excipiendæ tamen sunt causæ Criminales non criminaliter, sive ad vindictam publicam, sed civiliter duntaxat sive ad pecuniariam vel aliam similem poenam parti applicandam intentatæ; cum enim hoc casu executio non in persona, sed in bonis sit faciendæ: & propterea cesset ratio, ob quam in causis Criminalibus removetur, in his admitti procurator potest, *l. Licet 42. ff. hic. Clarus q. cit. n. 4.*
38. Deinde in iisdem causis, etiam criminaliter intentatis, licet, qui accusat, id per se, non per procuratorem facere de Jure teneatur, *ll. cit.* reum tamen absentem & quò minus personaliter compareat, impeditum per alium defendi posse, desumi videtur ex *c. In nostra 4. l. Servum 33. §. 2. ff. hic & l. Reos 3. C. de Accusat.* quòd publicè interfit innocentes à quo eundem defendi, §. 2. *cit.* Fachineus *Lib. 1. Controvers. cap. 4. V. Ego,* textum *l. Accusatore 13. §. 1. ff. de Public. jud.* in speciem contrarium explicans de capitalis criminis reo præsentem: qui in iudicio adesse, non procuratorem mittere debet. Alii tamen hanc *l. & §. cit.* expositionem, & pro capitalis criminis reo procuratorem non admittunt, apud Menochium *de Arbitr. jud. Lib. 1. q. 80. à n. 1.* & Bruneman. *l. & §. cit. à n. 3.*
39. Dubium & controversia est, an procurator admittatur in iudiciis, in quibus pro crimine poena, corporali mitior, imponenda venit. Negant id cum Panorm. *in c. Veniens 15. de accusat. num. 18.* & procuratorem ad iudicium Criminale indiscriminatim non admittunt multi: & apertè proditum videtur, *l. Accusa-*

*toe & §. 1. cit.* ab istis procuratoribus rem, pro reo intervenientem generaliter & indistinctè removeate: quòd non minus clarè proditum est *c. Veniens cit. & l. contrario inferitur ex l. Non cogendum 41. §. 1. ff. hic.* Id ipsum suadet ratio, quòd licet elusionis periculum in tali iudicio tantum non sit, & aliquando omnino cesset, urgeat tamen ratio altera, quæ rei præsentiam exposcit; ut in talibus etiam iudiciis necessaria veritas ex ejus verbo, voce & sermonis constantia facillius excutiat, *l. De minore §. 5. cit.*

Sed hæc ratio, & textus prædicti, quantumcunque urgeant, in omnibus tamen causis, in quibus poena corporis afflictiva relegatione minor, & ipsa etiam relegatio, imponenda venit, procuratorem pro reo admitti, cum Glossa *in c. Veniens cit. V. Criminali* sustinent. Becius *in c. cit. n. 39.* Clarus *§. fin. q. 32. à n. 4.* Menochius *de Arbitr. lib. 1. q. 80. n. 16. & 127.* Wesenbecius *Consil. 43. n. 171.* & alii pro sua hac opinione, præter tribunalium receptam praxin, allegantes *l. ff. An per alium causa appell. qua.* sicut procurator expressè in causa civili & pecuniaria admittitur, & removetur in Capitali & aliis gravioribus usque ad relegationem: sic non obscure recipitur in causis, in quibus poena minor, & ipsa quoque relegatio, imponenda venit; verbis enim illis, *Usque ad relegationem,* hæc à capitalibus excludi, & minoribus poenis concesseri volunt. In eandem rem adducunt *c. In nostra 4. hic* cujus præ. ad Episcopum, super dilapidationis, contra recommunicationis & perjurii criminibus accusati, defensionem procuratores constitutos habetur: *c. Veritatis 8. de Delib.* ubi Episcopus, gravissimorum & deperditionis ac privationis poenis obnoxiorum criminum reus, redarguitur; quòd *Allegat per se nec per responsalem, hoc est, procuratorem*



atorem idoneam comparuerit, satis clarò iudicio, procuratorem in huiusmodi causis Jure admitti: *l. Reos cit. §. 1. Servum 33. ff. hic* cuius §. 2. Ulpianus *Publicè*, inquit, *utile est, absentes à quibuscunque defendi*; quibus verbis ICT<sup>9</sup> subdit, *Ubi cunque absens quis damnari potest, quemvis ad ejus defensionem audi.* Cum ergo in absentem pecuniaria aliæque poenæ usque ad relegationem statui permittantur, *l. Absentem §. pr. V. Quid igitur ff. de Pœnis*, pro reo delato criminis, huiusmodi poenæ obnoxii, procurator admittetur. Quod etiam suadet ratio; quia in huiusmodi iudiciis rei præsentiam non exposcit periculum elusionis; cum executionem sententia consequi valeat, eò absente, hòc ipsò; quòd faciendâ non sit in ejus præsentis corpore, sed in bonis, officio, dignitate, quæ adimi æquè absenti possunt: neque etiam necessitas eruendæ veritatis; quia illa ex voce & vultu delatorum in minoribus non ita facilè, ut in gravioribus criminibus, erui & minori Reipublicæ præiudicio celari solet.

41. In hoc duarum Opiniorum, & in utramque partem militantium Jurium rationumque conflictu, DD. calculis numeratis, spectatâ praxi Tribunalium & momentis rationum posterior: Juris autem textibus ponderatis potior videtur prior: pro qua *citt. aliarumque ll. expositiones, communiore & suo sensui plus æquò non adversantes, dabunt citt. Berouius à n. 37. Menochius à n. 93.*

42. Dubium etiam est, an procurator admittatur in causis famosis, sive in quibus condemnato infamia irrogatur. Et quidem, si infamia in consequentiam poenæ pecuniariæ, aut saltem pecuniæ ex contractu vg. Mandati, Depositi, pro Socio, Tutelæ &c. debitæ veniat, procuratorem admitti, liquet ex *l. 1. ff. An per*

*aliam causa appell. cuius tenor est, Plañe si pecuniaria causa est, ex qua ignominia irrogatur, potest & per procuratorem agi.* Si verò infamia sola & principaliter infligatur, procuratorem admitti, non pauci negant, & moventur Primò; quòd non admittatur in causis capitalibus, in quibus vita adducitur in discrimen: fama autem & vita pari passu ambulant: & infamia æquiparetur poenæ capitali, *l. Justa 9. ff. de Manu-miss. vind.* Sed, textu istò famæ & vitæ æquiparationem non satis fundari, rectè notat Bruneman. ad *l. cit. n. 2.* quòd famâ vitam potiorem esse, non obscurè insinuetur, *l. Si adulterium 38. §. 9. ff. ad l. Jul. de Adult.* Et clarè tradatur *l. Capitalium 28. ff. de Pœnis*: cuius *pr. §. 1.* supplicium in poenarum supremo: & infamiæ poena in infimo earum gradu constituitur: idque Jure optimò; cum honor læsus vindicari & recuperari: non etiam vita possit. Secundò; quòd, si in ejusmodi iudicio reum defendat procurator, iudicium elusorium facilè evadat; cum neque reus absens per procuratorem condemnatum, neque etiam procurator infamis fiat, *l. 1. §. l. Furti 6. §. 1. ff. De his, qui inf. nor.* Verùm his textibus sermo tantùm est de causa iudicii privati pecuniariæ, ex qua ignominia in consequentiam duntaxat venit: & ii, quibus infamia principaliter irrogatur, etiam procuratore agente damnati, infames fiunt, ut probè advertit Haunoldus, hac in re Juris Interpp. RR. secutus *Tom. 5. de l. §. l. Tract. 2. n. 418.* Tertio; quòd rei præsentia in iudicio desideretur; ut veritas ex vultu & sermone facilè eruatur: quâ præcipuè ratione procuratorem à famosis iudiciis alii præsertim VV. DD. excludunt. Sed hanc minùs principalem rationem esse existimat Haunoldus *l. cit. n. 422.* Veram autem ratio-

Ecccc; nem;



nem, cur in quibusdam judiciis rei præsentia desideretur, esse, ait; ne iudicium elusorium facile evadat.

Quare ipse, in causis Famosis procuratorem etiam ex parte rei admitti, docet; quòd in iis hunc admitti ullus Juris textus apertè non vetet: & non urgeat periculum elusionis: ad quod evitandum, in causis capitalibus & pœnam corporis afflictivam irrogantibus, admitti præcipuè prohibetur; eùm etiam per procuratorem defensus condemnari, eique infamia iniuri possit, arg. l. Servum 33. §. 2. ff. hie, l. Absentem 5. pr. V. Quid igitur & l. Reos 3. C. de Accusat. Contrarium tamen viriliter defendunt &, sicut in cæteris judiciis publicis criminum non Capitalium, sic etiam in Famosis procuratorem, qui reum absentem opportunâ defensione tueatur, Jure admitti, præcipui nominis DD. & Interpp. RR. satis probabiliter negant.

#### ARTICULUS IV.

### De Procuratoris Officio & Potestate.

#### SUMMARIUM.

45. Procuratoris Officium pendet à Mandato:
46. Quò instructus esse debet.
47. Non tamen semper ad defendendum:
48. Aliquando etiam ad agendum.
49. Sine eo in causis poscentibus mandatum speciale,
50. Et contra voluntatem domini, etiam conjuncti:
51. Alii verd sine cautione & satisfactione non admittuntur.

52. Ad agendum datus, defendit in causa Reconvensionis.
53. Ad negotia datus generaliter, etiam judicia:
54. Non vicissim ad hac datus, illa pertractat.
55. Mandatum generale, ad exigentia speciale,
56. Et expressis graviora non extenditur:
57. Nisi Procurator in rem suam, cum libera &c. sit datus.
58. Causa exigentes Mandatum speciale.
59. Contestatione litis Procurator ipse dominus fit;
60. Ut sententia regulariter in ipsum:
61. Aliquando tamen etiam in dominum feratur.
62. Procurator appellare,
63. Et, live contestatus, sibi alium substituere potest.
64. Gestorum variationem reddit domino:
65. A quo litis expensis ipse,
66. Et aliquando etiam negotiorum Gestor accipit.
67. Mandatum non observans sibi:
68. Culpâ suâ aliquando domino nocet.

**P**rocuratoris legitime constituti officium & potestas fere pendet ex mandato: cujus fines diligenter observare debet, l. Diligenter 5. ff. l. Idemque 10. ff. Mandati. &, si excedat, non tam domino constituiti, quàm sibi nocet, l. In causa 27. ff. & l. Procurator 10. C. hie; cùm, qui illos excuset, aliud quid videatur facere, quàm ei est mandatum, l. Diligenter vi. pr. Quare

Primò, Procuratorem, ut ad agendum in iudicio admittatur, introctum esse oportet mandatò, c. i. quòd dominus, sive principalis eum constituens, is-



ens, secundum formam, *l. Si Procuratorem 65. ff. hic* præscriptam, aut Curia stylo receptam exprimat, ad quam causam agendam, vel quos actus suo nomine gerendos sit constitutus: &, quidquid is gesserit, ratum ipse dominus sit habiturus, Speculat. *Tit. de Procurat. §. 3. n. 20. & Wesenbec. in ff. ad hanc Rubr. n. 7.* huiusmodi enim mandatò, si procurator non instructus, aut quò instructus est, sufficiens non sit, ad agendum non admittitur: quantumvis dominum rem ratam habiturum, cautionem præstet, *l. 1. & l. Licet 24. C. hic*, Bruneman. *in l. 1. cit. n. 1.*

De hac tamen mandati necessitate dubitandi ratio non levis oritur ex *l. Sed & ha 35. ff. & l. Maritus 21. C. hic*: quorum textuum priori parentes, liberi, fratres & affines in liberorum, parentum, affinium: posteriori maritus in uxoris suæ causis ad agendum sine mandato admittitur. Accedit; quòd, si in personarum omnino extranearum causis ad agendum sine illo procuratores non admitterentur, admittendi etiam non essent ad defendendum; quia actor & reus, tanquam duo correlativa, uno eodemque jure censentur, *c. fin. de Mutuis petit. ac proinde procurator*, sicut pro actore, sic etiam pro reo admitti non possit, contra dicta *an. 38.* Nihilominus procuratori mandatam ad agendum adeò necessarium est; ut ab eo, qui legitimò caret mandatò, sive à procuratore falso in judicio gesta, irrita sint ipso jure, *arg. c. In nostra 4. §. Nos verò & l. Licet cit.* Ratio est; quia procurator carens mandatò reputatur instar personæ extraneæ: cui, quia cum reo nullum negotium gestit, nulla adversus eum competit Actio, quâ ipsum in judicio valeat convenire, *l. Si pupilli 6. §. fin. ff. de Negot. gest.* Quare ei omnino necessarium est man-

datum, cuius virtute reum convenire ex persona domini possit. Id autem, cum sit quid facti, & propterea non præsumatur, *l. In bello 12. §. 2. ff. de Captivis & possim.* probari, & plerumque ipsius mandati exhibitione debet, *c. 1. cit. Barbosa in Select. c. cit. à n. 1.*

Dixi, *Ad agendum*, sive pro actore; quia pro reo ablente sine mandato defensor admittitur, si de iudicato solvendo: &, quando reus Actione Reali convenitur, etiam de rato cautionem præstet, *l. Pomponius 40. §. 2. l. Is cuius 64. & l. Titius 76. ff. hic*; quod ita receptum est causâ utilitatis; ne causæ & negotia absentium facile destituantur, *l. 1. ff. de Negot. gest.* Unde corrumpit ratio allata in contrarium.

Neque hoc evincunt Leges; quia continent casus speciales, sive exceptiones à Regula, generaliter ab agendo repellente procuratorè carentem mandatò; sicut enim defensor ad tuendum, sic etiam ad agendum sine eo procurator admittitur. Imprimis, quem dominus præsens & sciens suo nomine in iudicio contendere patitur; cum tali dominus mandasse videatur, ab eoque acta teneatur rata habere, *l. Qui patitur 18. ff. Mandati*, Menoch. *de Presumpt. lib. 22. præf. 33. n. 7.* Deinde, qui causas tractare consuevit, & secum habet instrumenta, sive acta ipsius causæ, *c. Coram 34. de Offic. deleg.* quia hæc mandati præsumptionem fundant; ut saltem cum cautione Fidejussoria, quòd dominus rem ratam habiturus sit, procurator mandatam non exhibens admittatur, *l. 1. C. hic*, Laiman & Barbosa *in c. cit. n. 2.* Præterea canonici & clerici singuli, agentes super rebus & juribus suæ Ecclesiæ, si ea Prælati perdat, vel defendere negligat aut recuperare, *c. 1. de Restit. Spoliat. c. Cum olim 34. de Test. & Attest. & c. Si quis 6.*



qui 6. de Reb. Eccles. alien. cum enim canonicorum interfit, res & jura Ecclesie suae salva & illaesa conservari, ad agendum pro iis, etiam sine mandato, admittuntur, Glossa in c. Cum olim cit. v. Per exceptionem, ubi Panormit. n. 6. & Felinus n. 2. Demum personae conjunctae, l. Sed & ha & l. Maritus cit. relatae, quia hujusmodi personae tacitum mandatum habere praesumuntur, ex ipsa conjunctione & affectione speciali: quae facit, ut mandatum nulli promptius credatur, Faber in l. Sed & cit. §. fin.

- Hujusmodi conjunctis personis alii qui accensent, & sine mandato procuratoris munus vendicant consortibus litis, sive eandem causam & idem jus habentibus, l. Commune 2. C. de Consort. lit. quod tamen, hoc textu proditum, alii negant. Utcunque autem hoc sit, personas conjunctas in casibus, ex poscentibus mandatum speciale, ad agendum in judicio sine mandato admitti, cum Glossa à DD. recepta in l. Exigendi 12. v. Non cogitur. C. hic negat Bruneman. n. 12. uti
50. etiam si in causis, speciale mandatum non exigentibus, contra voluntatem domini, pro quo interveniunt, agere velint. Ratio utriusque perspicua est; quia personae conjunctae pro conjunctis admittuntur, propter mandati praesumptionem: quae cessat, cum de contraria domini voluntate constat: uti &, cum proximior conjunctus se offert, & in rebus speciale mandatum poscentibus, hoc ipsò; quòd generali mandato non comprehendantur, Bruneman. l. cit.
51. Secundò, licet aliàs procurator actoris, de cujus legitimo mandato constat: uti &, qui praesentis domini auctoritatem habet, hunc rem ratam habiturum, cavere non teneatur, l. Unica C. & §. Sin autem 3. Institut. de Satisfat. de hoc tamen cautio ab illo praestanda

est, quando, an ad agendum mandatum aliquò aut legitimo & sufficienti introductus sit, rationabiliter dubitatur, l. Non solum 39. §. 1. junctà Glossa v. Debet & l. 1. C. hic. Si, inquam, dubitatur, quia, si eum nullò vel non legitimo mandato instructum, certò constaret, neque cum cautione de rato eum ad agendum regulariter admitti, patet ex dictis, & in l. cit. notat Bruneman. à n. 1. Procurator autem rei, etiam, cum de legitimo ejus mandato constat, jure non admittitur sine satisfactione, sive cautione de judicato solvendo pro litis estimatione: nisi hujusmodi satisfactionem praestiterit ipse principalis, l. Qui proprio 46. §. 2. l. Si procuratorem 65. ff. hic & §. Si vero reus 5. Institut. de Satisfat. cit. Welterbecius n. 12.

Tertiò, Procurator mandatum habens ad agendum simpliciter, constitutus etiam censetur ad respondendum in causa Reconventionis; ut, si dominum à reo reconventum defendere & pro eo respondere nolle, ab agendo possit repelli, l. Mutus 43. §. 4. ff. hic; quia, mandatum habens ad agendum, in dubio constitutus videtur ad omnia, sine quibus agere non potest, arg. c. Præterea 5. de Offic. deleg. Quin etiam ad agendum tantum constitutum procuratorem, esse dominum defendere nequeat vi mandati, ad id tamen tanquam defensorem, praestitâ cautione de judicato solvendo, admittendum, censet Panormit. in c. Ascendens 10. n. 5. quòd ad rei praesens defensionem sine mandato quilibet alius, alius idoneus, admittatur, §. 2. & §. Si vero reus 3. cit.

Quartò, constitutus ad negotia generaliter, Judicialia & extrajudicialia non exprimentò, datus etiam censetur ad judicia; ut pro constituyente agere & respondere in judicio valeat, exceptis casibus,



sibus, poscentibus mandatum speciale, *c. Qui generaliter §. pr. in 6.* quia ex una, verbo, *Negotia*, late quidem sed tamen proprie accepto, comprehenduntur etiam causae judiciales, *l. Forus 10. V. Negotium de V. S.* ex altera vero parte, verba generalia generaliter intelligenda sunt, *arg. l. De pretio 8. ff. de Public. in rem*

94. *atq.* Et si contra, constitutus ad negotia strictè, ad causas & lites in iudicio prosequendas: &, constitutus ad iudicia, ad negotia extra iudicium perpetranda datus non censetur; quia negotia strictè accepta & iudicia sunt species distinctae; ac proinde illorum nomen strictè acceptum ad ista, & vicissim hoc ad illa non est extendendum, *Francus in c. Qui generaliter cit. n. 1. & Pirthing ad hanc Rubric. n. 59.*

95. Quinto, mandatum Procuratoris, ad agendum & defendendum constituti generaliter cum clausula, *Ut omnia, quae mandatum speciale exigunt, valeat expedire*, se non extendit ad articulum speciale mandatum exigentem, *c. Qui ad agendum 4. pr. in 6.* quia, hoc ipso; quod Jura ad quaedam legitime expedienda exigant, ut specialiter & nominatim committantur, non sufficit mandatum ea generaliter sine ullius specifica expressione committens, *l. Pomponius 40. cit. ibi, Et, si nominatim ei mandatum sit* Laiman *in c. cit. pr. & in c. fin. de Offic.*

96. *Vicar. in 6. n. 13.* Si tamen unum vel plura, speciale mandatum exposcentia, exprimentur, vi adiectae clausulae generalis, posset etiam alia, *c. Qui ad V. Sed si aliquis in 6.* quae expressis similia aut minora; non etiam, quae iis graviora sunt & majora, *Clement. 2. hic & c. Sedes 15. de Rescript.* sic enim procurator ad iudicia datus cum potestate transigendi vel pacificendi, *Et omnia alia speciale mandatum exigentia faciendi, vi*

talibus mandati & clausulae debitum remittere non potest, *Francus in c. Qui ad agendum cit. §. fin. n. 4.* & ad eadem datus cum potestate jurandi de calumnia, crimina objicere nequit; quia debitum remittere plus est, quam transigere aut pacisci: & crimina objicere gravius, quam de calumnia jurare, *Clem. cit. Laiman, in §. Sed si aliquis cit.*

Excipiendus tamen est procurator generalis in rem suam, *Glossa fin. in c. Qui ad agendum cit. &*, cum libera & plena potestate constitutus: uti &, cui tota lites & omnia ea, quae ipse dominus potest, si esset praesens, faciendi potestas est commissa, *arg. l. Procurator §. 8. ff. & 10. C. hic*; cum enim mandatum cum libera aequivaleat mandato speciali, ea etiam, quae hujusmodi mandatum exigunt, facere potest, ut *in c. cit. §. fin. Francus n. 6. & aliis relatis Barbosa n. 7.* adnotarunt

Sexto, speciale mandatum in procuratore ad lites exigitur ad agendas causas criminaliter intentatas, ad jurandum de calumnia, *Clement. cit.* ad deferendum adversae parti juramentum litis decisivum, ad transigendum vel paciscendum, *c. Qui ad agendum cit. V. fin.* ad in integrum restitutionem petendam, ad compromittendum in arbitrum, *Glossa in c. cit. V. Pacifici &c.* In eo etiam, qui ad negotia generaliter constitutus est, speciale mandatum requiritur ad impetrationem Rescripti; ad tractandam causam sive negotium matrimoniale; ad donandum, debitum remittendum, fidei-jubendum; ad beneficiorum aliorumve jurium renuntiationem; ad canonicatus vel alterius beneficii possessionem accipiendam; ad collationem vel praesentationem faciendam ratione juris conferendi vel Patronatus; ad petendam absolutionem ab excommunicatione, dis-

fffff

Spensa



spensationem v.g. super defectu natalium impetrandam, & aliis casibus, à Glossa *V. Pacisci cit.* & Franco *in cit. V. fm. n. 3.* relatis.

59. Septimò, litis contestatione inter procuratorem & eum, quocum principalis sive constituentis nomine litigat, facta, ille efficitur dominus litis, *l. 1. C. de Sent. & interlocur.* ut citationes omnes ad ipsum, non ad principalem sive dominum dirigendæ: & ab ipso, non ab isto, actus judiciales omnes exigendi, ipsaque sententia regulariter in procuratorem, qui iudicio adfuit, non in personam domini sit proferenda; quia per litem contestationem cum eo, in ordine ad iudicium sive instantiam, quasi contractum: & procurator sibi acquirere censetur actiones & obligationes: quas deinde, si in rem suam datus non fuit, & se non obtulit, ac proinde omne commodum litis, officio suo per sententiam definitivam finito, domino mandanti cedere debet. *Regulariter*, inquam,
61. *sententia ferenda est in procuratorem;* quia variis casibus in ipsum dominum profertur: & primò quidem, si iste præsens fuit in principio litis, & hanc ipse est contestatus, Glossa *in l. 1. cit. V. Non fuit.* Secundò, in Matrimonialibus, Beneficialibus aliisque causis Spiritualibus, ut *in c. Querelam 24. de Elect.* notant Ant. de Butrio *n. 45.* & Panormit. *n. 10.* Tertio, in causis Criminalibus criminaliter intentatis, Bruneman. *in l. 1. cit. n. 3.* Quarto, in causis Ecclesiarum, Monasteriorum, aliarumque communitatum, uti & pupillarum: in quibus sententia contra ipsam Ecclesiam, Monasterium, Communitatem &c. ferri potest, Bartol. *in l. 1. cit.* Quintò demum, Legales has subtilitates in foro, & de Jure etiam Ecclesiastico, ita scrupulosè non attendi:

& in causis etiam Civilibus sententiis, sive in dominum sive in procuratorem conceptæ sint, ratas haberi, cum Glossa *in c. Suscitata 6. De in integ. restit. V. Monasterii* & aliis advertit Tullchus *Præfic. V. Sententia conclus. 136. à n. 27.* In Camera etiam Imperiali, in qua lites omnes per procuratores agitantur, & Ordinationis præscripto sententiæ omnes, causis injuriarum ad evitandam infamiam, exceptis, in dominum feruntur, Gall. *Lib. 1. observat. 111. n. 2.*

Octavò, procurator constitutus ad lites appellare potest: non tantum, si ei denegentur iudicia, quas petit, ad dominum absentem super re aliqua consulendum, *c. Dilactus 11. sed à sententia quoque lata, c. Non injussu 14. §. Quod fieri, V. Porrit;* quia hoc ipsum tunc citè adjunctum videtur; ne, si non appelleret, sententia transeat in rem judicatam, & amissa à Domino causa ipsi imputetur, Panormit. *in c. cit. n. 13.* Appellationem tamen à definitiva prosequi invitus non tenetur, *c. cit.* Nisi generaliter ad lites sive causas judiciales omnes esset constitutus, ut *l. cit. idem* adnotavit.

Nondò, quantumvis procurator alium sibi substituere valeat, postquam ipse litem contestandò istius dominus est effectus, *c. 1. §. Licet in l. 1. Quod quæ 8. & l. Neque 11. C. hic;* ante illam tamen contestatam id non potest, nisi datus sit in rem suam sive propriam suam utilitatem; quòd v.g. dominus ipsi cederet jura & actiones: vel alium substituendi potestatem à domino accepisset, *c. cit. vel procurator solum ad negotia sic datus, c. cit. §. fm.* Rationem, cur ad sola negotia datus possit, ad lites autem constitutus Procurator, ante litem contestationem alium sibi substituere non valeat, Francus *in §. fm. cit. n. 2. reddit;* quòd in



quod in isto: non etiam in illo speciali-  
ter electa censeatur industria personæ;  
ab hac enim etiam, si ad negotium ge-  
rendum, sicut in iis, quæ speciale man-  
datum exposcunt, fieri solet, speciali-  
ter electam esse constat, id per substitu-  
tionem alteri committi propter præjudi-  
cium domini non posse, *arg. c. fin. hie*  
*in 6. & c. Is cui 12. de Offic. deleg. in c.*  
*1. cit. cum Anchorano docet Laiman n. 5.*

64. Decimo, gestio, quod mandatum  
est, negotio, aut lire perducta ad finem,  
procurator omnium eorum, quæ gessit,  
rationem reddere: & quæ consecutus  
est, domino restituere, *l. Qui proprio*  
*46. ff. hie: eique dolus vel culpa, etiam*  
*levissimâ, illatum damnum & interesse,*  
*propter tacitè promissam industriam,*  
*compensare tenetur, l. Procurator 13.*  
*junctâ Glossâ V. Omnem culpam C. Man-*  
*dati, Gaill. Lib. 1. observat. 45. n. 4 &*

65. 5. Contra Procurator, non tantum ex-  
traneus à domino, sed Prælatus quoque  
& Rector Ecclesiæ ab ista repetere potest  
omnes expensas, quas in mandati, sive  
negotii sibi commissi, executione de pro-  
priis bonis fecit, *can. Quicumque 12. q.*  
*2. c. Cum pro causa 6. & l. Qui proprio cit.*  
*§. 5. & 6. ff. hie: quantumvis de iis re-*  
*stituendis in constitutione nihil sit actum.*  
Imò, etiam si procurator in causa suc-  
cuberit, aut negotium citra suam tamen  
culpam gesserit inutiliter, *l. Qui mutu-*  
*um 56. §. fin. ff. & l. Etiam 4. C. Man-*  
*dati; quia bona fides contractus Man-*  
*dati exigit, ut procurator damno ali-*  
*quod ex procuratore non afficiatur, l. Si ve-*  
*rò 12. §. 9. & l. Si quis 16. ff. eodem Tit.*  
*cum officium suum nemini debeat esse*  
*damnosum, l. Sed si 7. ff. Testam. quomo-*  
*do aper. & qui ad causam vel negotium*  
*suum procuratorem constituit, ad ex-*  
*pensas, quas pro illa vel isto fecerit, ta-*  
*citè se obligasse censeatur. Quin, si ne-*

gotium non gratis gerendum suscepit,  
salarium vel honorarium initio vel po-  
stea promissum exigere potest, *l. Sala-*  
*rium 7. ff. & l. 1. C. Mandati, ubi Bru-*  
*neman. n. 2. & Wefenbee. ad hanc Ru-*  
*bric. n. 8.*

Dixi, *Quod mandatum est;* quia 66.  
absentis negotium sine mandato susci-  
piens, licet, quando id gessit utiliter,  
aut geri in principio secundum commu-  
nem hominum æstimationem consultum  
fuit, in id, quantumvis optatum exitum  
præter expectationem non habuerit, fa-  
ctas expensas repetere etiam ipse queat,  
*l. Si quis 2. & l. Sed an ultro 10. ff. de*  
*Negot. gest. repetere tamen negotio in-*  
*feliciter gestio non valet: si ejus pertra-*  
*ctationem suscipi necessarium aut utile*  
*domino non fuit, Glossa fin. in c. cit.*  
*quia negotiorum gestor sibi imputare de-*  
*bet; quod alieni patrimonii administra-*  
*tioni improvidè se immiscuerit, l. Sed*  
*an cit. §. 1. Quæ ratio non militat ad-*  
*versus procuratorem, alieni negotii per-*  
*tractationem non tam suâ voluntate,*  
*quàm domini mandantis jussu, suscipien-*  
*tem.*

Dubium hic est, an Procurator a- 67.  
gendò vel omittendò noceat Domino.  
Quod, etsi passim & absolute asserant DD.  
propter *l. Si Procurator 10. C. hie: &*  
quoties mandati procuratorii fines obser-  
vantur, verissimum sit; quia ex volun-  
tate domini agit vel omittit: casu ta-  
men, quò istos procurator excedit, lo-  
cus est distinctioni; vel enim agit ali-  
quid extra id, quod mandatò contine-  
tur, v.g. habens mandatum ad proponen-  
das exceptiones dilatorias, non has sed  
peremptorias proponit, & causâ cadit?  
& ejus factum Domino non præjudicare,  
ex *l. cit. pr. post Tuschum Practic. V.*  
*Mandatum conclus. 39. n. 11. colligit*  
*Bruneman, in l. cit. n. 1. quia ad id,*  
F f f f f z quod



quod agit, nullum habuit mandatum. Vel aliquid agit aut omittit circa actum aut negotium, mandato comprehensum, v.g. ad litem in iudicio prosequendam constitutus, ad præfixum terminum peremptorium non comparet: vel non opponit exceptionem domino competentem; aut, cum dilatoriam deberet, peremptoriam opponit: aut labi finit fatalia, iure concessa ad appellandum? Et

68. procuratoris negligentiam vel culpam, si ipse solvendo sit, domino præjudicare, ex *l. cit. §. l. i. §. fin. ff. Quando appell. defumi & ratio reddi solet*; quod æquitas dicitur, procuratoris negligentiam potius imputari Domino, qui ad litem prosequendam eum liberè elegit, *l. Cum mandato 22. in fine ff. de Minoribus*, quàm colliganti: qui domini, sive adversarii sui mandatum secutus, cum procuratore ab eo sibi opposito litem bona fide contestatus est & profecutus, Gaill. *Lib. 1. observat. 45. à n. 1.*

Dixi, si sit solvendo; quia, si procurator non esset: & propterea damnū & interesse ab eo, per viam actionis mandati consequi dominus non valeret, recurrere posset ad beneficium in integrum restitutionis: quam, ei hoc casu contra adversarium petenti, vi generalis clausulæ, *Si qua alia mihi iusta causa videbitur, l. i. in fine ff. Ex quibus caus. major. non denegandam, idem n. 6.* docet cum Panormit. *in c. 1. Ut lite non contest. n. 16.* & Felino *ibid. n. 6.* insuper excipientes casum facti, continentis delictum & obnoxii poenæ: quod à procuratore commissum, saltem si magnum præjudicium afferat; domino nec mandanti nec scienti nec ratum habenti, non obesse, volunt Bartol. *in l. 1. §. 2. ff. Si quis alteri vel sibi eitis. Panormit. n. 23. & Felin. n. 8. §. 12.*

## ARTICULUS V.

## Quomodo ejus Officium &amp; Potestas finiarur.

## SUMMARIUM.

69. Finitur I. mutuo consensu  
70. II. Revocatione,  
71. Aliquando non inimicā proventori ad negotia.  
72. Ad litem datus, re integrā, libere  
73. Ex iusta causa, eā non integritate vocatur.  
74. III. Exoneratione:  
75. IV. Instantiā finitā.  
76. V. Morte Domini re integrā:  
77. Quò casu aliquando presertim:  
78. Aliquando, re non integrā, finitur.  
79. VI. Morte procuratoris.

Variis modis hoc evenire solet. Primò, juxta *Reg. Omnia res per quas quinque causas nascitur, per eandem dissoluitur*, eique consonam *l. Nihil 31. ff. de R. I.* ejus officium & potestas finitur mutuo consensu ipsius Procuratoris & Domini, sicut eò sunt constituta, *l. Mutari 24. ff. hic.*

Secundò, domini constitutis revocatione. Et quidem, cum ad negotium datus procurator est, saltem ipsi inimicitia, *l. Si mandatum 15. ff. Mandati*; et damno afficiatur ipse procurator, qui contrahendò cum altero contrahit obligationem, *l. 1. C. de Sent. & Interdict.* Imò, si constitutus sit ad contrahendum cum certa persona, in cujus præjudicium vel damnum cedere revocatio potest, ordinariè necessarium esse videtur, ut ista etiam ejusmodi personæ innocet, ut illioquin cum ista gesta valida erunt, Panormit.



normit. in c. Ex parte 33. de Rescript. n. 10. & ibi Felinus n. 22.

71. Exciendi tamen sunt gesta à procuratore, constituto imprimis ad contrahendum matrimonium: quod, si revocatio contractum præcedat, propter defectum consensûs irritum est, quantumvis illa neque procuratori neque personæ, quacum matrimonium contractum est, fuerit intimata c. 57. fin. in 6. Deinde, ad acceptandum beneficium Ecclesiasticum: cuius, etiam mandati revocatione nondum intimatâ, facta acceptatio, à Felino in c. cit. n. 11. pro invalida habetur; cum, quod inter beneficiatum & eius Ecclesiam intercedat quoddam, etsi minus perfectum, conjugium spirituale, ad sui valorem consensum exigens instar carnalis, c. Cum inter 21. de Elect. tum verò; quod huiusmodi revocatione & ignoratione procurator non lædatur: quoties autem revocationis ignorantia mandatario seu procuratori damnum & præjudicium non affert, mandati etiam non intimatam revocationem tenere, Regulæ instar tradatur à Bartolo & Dyno in l. Si Pater 14. ff. de Manumiss. Vind. Laiman in c. Ex parte cit. n. 7. Hactenus de dato ad negotia.

72. Ad litem in iudicio prosequendam constituti Procuratoris potestas, quomodo revocatione cesset, explicandum est auxiliò distinctionis, proditæ à Bonifacio VIII. c. Quamvis 2. in 6. Velenim, quod lis cum adversario contestata nondum sit, res adhuc integra est, aut factus propter illius contestationem jam factam? Si prius, procuratorem (in rem suam non datum) etiam invitum revocare dominus liberè potest, c. cit. & l. Ante litem 16. ff. hic. Ratio est; quia, cum ante litem contestationem circa causam controversam jus procuratori quæsitum Jure non sit, mandati in eum directi revocatione

ipsi non præjudicatur: ubi autem alteri non præjudicatur, consilium, quod de re sua iniit, mutare cuius est permiffum, arg. l. In re mandata 21. C. Mandati, & à contrario, c. Mutare, junctâ Glossâ fin. de R. 7. in 6. Si posterius, procurator invitus, & probabiliter etiam volens, invitò adversariò revocari sine justa & rationabili causa, istiusque prævia cognitione ac probatione, à domino non potest, arg. c. Mutare cit., Panormit. in c. Non iniuste 14. n. 4. & aliis DD. ac Rotæ decif. allegatis, Barbofa in c. Quamvis cit. num. 6. 73.

Iustæ autem ac rationabiles revocationis causæ sunt, procuratoris ætas minus apta negotiis, adversa valetudo, occupationes & alia impedimenta: quibus eum dominus ita distrahi animadvertit; ut liti suæ utiliter prosequendæ par non sit; inimicitia cum domino, aut affinitas vel alia necessitudo cum adversario contracta; ut probabilis suspicio sit collusionis, eumque suis minus, aut adversarii rebus magis, quàm oportet, affectum ac utilem fore, l. Post litem cit. &c. Imò etiam, si post litem contestatam revocatus procurator absque legitima causa se opponat, & operam suam ingerat invito, l. Qua omnia 25. V. Sed ff. hic. Quare procurator revocatus petere solum potest, ut pro suæ existimationis indemnitate & conservatione de causa cognoscatur: & si nullâ suâ culpâ revocatur, præter sumptus, quos fecit, salarium sibi præstetur, Bartol. in l. Post litem cit. n. 2. Laiman in c. cit. n. 2. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 89. 74.

Tertiò, idem officium & potestas finitur exoneratione ipsius procuratoris, renuntiantis mandato; licet enim hoc ab initio voluntatis, postea necessitatis sit, ex iusta tamen causa v. g. ob supervenientes inimicitias, diffamationem, valetudinem, pro-



- nem, professionem aliasque necessarias occupationes, & procuracionis ritè obediendæ impedimenta, eò se exonerare permittitur *l. Filiusfamilias 8. §. fin. Sc. ff. hic, Gaill. Lib. 1. observat. 46. à n. 1. & Bruneman in l. cit. Sc.*
75. Quartò, finitâ instantiâ, hoc est, latâ sententiâ d. finitivâ; quia appellationem, etsi ad impediendum illius transitum in rem judicatam interponere debeat, prosequi invitus non tenetur; ne ultra negotium, quod in se suscepit, gravetur; quia iudicium, quod in se suscepit, per sententiam est finitum, Vallenf. *hic §. 7. num. 3.*
76. Quintò, morte domini, re adhuc integrâ, *l. Mandatum 15. C. Mandati*; qualis ante est, & per litis contestationem vel mandati negotii inchoationem, istiusque preparatoria aliqua jam facta, definit esse, *l. Si defunctus 15. ff. l. Nulla 23. C. hic, Glossa fin. in l. Mandatum cit.* Ubi tamen
77. Duo casus sunt excipiendi. Unus, quò officium procuratoris, dominò ante litis contestationem mortuò, non finitur: quod accidit, cum iste pro procuratore suo præsentem in aut extra iudicium præstitit satisfactionem, sive cautionem de iudicato solvendo, *l. Si defunctus cit. pr. & §. Si verò 4. Instit. de Satisfact.* quia tali casu res non amplius censetur integra; ac proinde procurator ad iudicium accipiendū compelli potest, Gaill. *Lib. 1. observat. 74. n. 10.* & cum ipso Bruneman. *in l. Si defunctus cit. n. 1.*
78. Alter, quò eòdem, re etiam non amplius integrâ, mortuò, procuratoris officium expirat: quod fit, cum iste pro Ecclesiæ vel beneficii iuribus tuendis aut persequendis constitutus est ab eius Prælate vel beneficiario; illius enim officium ac potestatem istorum morte expirare & revocari, decisum est *Clement. fin.* Ratio id statuendi fuit partim; ne tali procuracione perpetuâ in Ecclesiâ, proprio defensore carentis, dominum vel præiudicium facile aliquid attentetur, contra *c. 1. c. fin. Ne sede vac. & c. de Suppl. negl. in 6. Glossa in Clement. cit. V. Revocari & Vivianus in eius Rationes*, partim verò; quòd procurator in iudicio agat nomine & potestate Prælati, tanquam principalis eum constituentis, *arg. l. 1. ff. hic* & propterea istius potestatis per mortem, uti & per renuntiationem, depositionem & quomodocunque factam Prælaturæ amissionem finitâ, etiam ab eo constituti procuratoris potestatem expirare, sit necesse.
- Neque obstat; quòd mandantis principalis sive domini defuncti ex mandato erga procuratorem contracta obligatio transeat ad hæreses & eius successores. Cur non etiam ad successorem in Prælatu, dignitate, vel beneficio, quæ Prælati vel beneficiati obitu non pereunt, *c. Si gravatò 5. de Rescript. in 6.* Non, inquam, hoc obstat, partim; quia alia est ratio hæresidis, alia successoris in Prælatu vel beneficio; cum iste successionis ius non, ut hæres, à defuncto, sed à superiore ipsum instituyente consequatur; & propterea una eademque persona cum defuncto non censetur, ut *in c. fin. de solut. cum Glossa fin. observat Panormit. n. 1. partim verò; quia defunctò Prælatò procurator agere nequit nomine ipsius Prælationis, cum; quòd ad hoc non sit constitutus; tum verò; quia eò ipso; quòd Ecclesiæ vacantis rerum administratio de iure competat capitulo, *c. Hu qua 11. & c. Cum olim 14. de Majoris*. procuracionis perpetuatione istius juri & potestati derogaretur, Vivianus *l. cit.* Nisi à Prælate & capitulo ad causas & negotia, utriusque quoque administrationem communis esse constitutus; tali enim casu & multò magis, si procurator principaliter à capitulo*



Io cum consensu tamen Prælati constitutus fuisset, Prælatò mortuò, Procuratoris officium non expirare: sed Capitulari auctoritate adhuc sustineri, cum *cit.* Glossa notat Panormit. in *Clement. cit. n. 3. & 5.*

Sextò demum, re etiam non amplius integrâ, procuratoris officium finitur ipsius morte, *l. Si quis 27. §. 3. ff. de iudiciis*; quòd electa censeatur industria personæ, *Wesembec. in ff. h. n. 11.*



## TITULUS XXXIX.

### De Syndico.

#### SUMMARIUM.

1. Syndici etymon & definitio:
2. Differentia à Procuratore & Actore.
3. Regulariter constituitur ab Universitate.
4. Ejus Officium publicum & honorificum:
5. Potestas eadem fere est, qua procuratoris generalis cum libera &c.
6. Et iisdem, quibus istius officium, licet non omnibus modis finitur.

**S**yndicus, à Græca voce *συνδικος*, causam, quæ in iudicio agitur, sive iudicium ipsum denotante sic dictus, est procurator Universitatis, sive alicujus, hominum in Civili vel Ecclesiastica societate viventium, jure vel Consuetudine approbatæ communitatis, ut sunt Civitates, Oppida, Ecclesiæ, Monasteria, Collegia studiosorum, mercatorum, opificum: qui, si ad administranda hujusmodi communitatis bona & negotia extra iudicium pertractanda, Universitatum administratores, curatores Civitatum, *Rubric. & text. ff. de Administr. rerum ad civit. & Ecclesiarum Oeconomi* vocantur, *cas. Quia in quibusdam 4. dist.*

*89. §. c. Cum vos 4. de Offic. Ord.* Si verò ad ejus causas & lites in iudicio prosequendas constituatur, Syndici nuncupantur, *Rubric. h. c. Cum venissent. 2. de In integ. restit. Vallenf. h. n. 3.* Unde

Syndicus, licet Procurator & Actor etiam ipse vocetur, *c. Quia 7. de Procurat. §. 1. §. 1. ibi, Actorem sive Syndicum ff. Quod cuiusque univers. & utriusque munere fungatur*: ab utroque tamen multum, & à procuratore quidem, propriè & secundum communem usum accepto, differt; quòd iste à privatis, & in privatis causis: Syndicus autem ab universitate aliqua vel collegio, ad publicas & communes causas in iudicio pertractandas constituatur; cum enim Universitas & collegium ipsum nec convenire nec conveniri in iudicio possit, *l. Sicne 7. §. 2. ff. eadem Rubr. necessarium omnino est, ut constituatur Syndicus, qui eam representet, ejusque causas in iudicio prosequatur, Wesembec. in ff. eadem Rubr. n. 8.* ab actore verò publico; quòd iste specialiter ad unam tantum alteramve aut certas quasdam causas: Syndicus autem generaliter ad omnes, præsentis & futuras, Universitatis causas constituatur, *Holtienlis in Summa h. n. 7. & 9.*

Consti-